



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De origine illius peccati. A. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

tuerunt, vel loquentem intelligere, qui non didicerat inter loquentes crescendo vel magisterio? Dicimus, quia Deus eos tales fecerat qui possent loqui, & discere ab aliis si essent.

DE ORIGINE ILLIUS PECCATI.
DISTINCT. XXII.

A *De hominis transgressione.*

Hic videtur diligenter inuestigandum esse quae fuerit origo & radix illius peccati. Quidam putant quandam elationem in animo hominis praecessisse, ex qua diaboli suggestioni consensit. Quod videtur August. innuere super Gen. ita inquit. Non est putandum quod homo deiiceretur, nisi praecessisset in eo quaedam elatio comprimenda: ut per humilitatem peccati sciret, quam falso de se praesumpserit, & quod non bene se habet natura, si a faciente recesserit. Item in eod. Quomodo verba tentatoris crederet mulier, dum se a re bona & utili prohibuisset, nisi inesset eius menti amor ille propriae potestatis, & de se superba praesumptio: quae per tentationem fuerat conuincenda aut perimenda. Denique non contenta suasionem serpentis, aspexit lignum bonum esu, decorum aspectu: nec credens se inde posse mori, forte putauit Deum alicuius causa significationis illa dixisse: ideo manducauit, & dedit viro suo fortassis cum aliqua suasionem, quam scriptura intelligenda reliquit. Vel forte non fuit suaderi necesse, cum eam mortuam esse illo sibi non videret vir. Sicut ergo non est promissus diabolus tentare foeminam, nisi per serpentem: ita nec virum, nisi per foeminam, ut sicut praecipitum Dei per virum venit ad mulierem, ita diaboli tentatio per mulierem transiret ad virum. In muliere vero quae rationalis erat, non est ipse locutus ut in serpente, sed persuasio eius, quamuis instinctu adiuuaret interius, quod per serpentem gerebat exterius. Ex praedictis tentationis modo atque progressus insinuatur

Aug. de Genesi nisi ad literam li. 11. c. 5. in princ. Ibid. paulo inferius.

Aug. lib. 15. dicto c. 22.

Ibid. paulo inferius.

nec non etiam, quod prædiximus, innuividerur, scilicet, quod tentationem præcesserat aliqua elatio & præsumptio in mente hominis.

Obiectio contra illos qui dicunt elationem præcessisse in mente.

Quod si ita fuit, non ergo alterius suggestionis prius peccavit, cum auctoritas tradat, ideo peccatum diaboli incurabile esse, quia non suggestionis, sed propria superbia cecidit: hominis vero curabile, quia non per se, sed per alium cecidit, & ideo per alium resurgere potuit. Quocirca prædicta verba August. pium ac diligentem Lectorem efflagitant: quæ sic intelligere sane quimus: Non deiiceretur homo in actum illius peccati, ut sc. lignum vetitum ederet, & in has miseras per tentionem diaboli, nisi elatio comprimenda præcessisset, non utique tentationem, sed opus peccati. Talis enim fuit ordinis processus. Diabolus tentando dixit: Si comederitis, eritis sicut dii, scientes bonum & malum: quo audito statim menti mulieris surrepsit elatio quedam, & amor propriæ potestatis: ex quo placuit ei facere quod diabolus suadebat, & vicij fecit. Suggestione igitur peccavit, quia tentatio præcessit: ex qua mente eius orta est elatio, quam peccatum operis secutum est, & poena peccati.

Quæ fuit elatio mulieris.

Et talis quidem elatio in mente mulieris fuit pro certo, qua credidit & voluit habere similitudinem Dei cum equalitate quadam putans esse verum quod diabolus dicebat: Et ideo specialiter mulierem commemorat Augustinus inquitens Quomodo crederet mulier diabolo, nisi esset in mente eius de se superba præsumptio. Et quod ibi sequitur, sc. Quæ per tentationem fuerat convincenda vel perimenda: ad mulierem referendum est, ut intelligatur, quæ mulier, non quæ elatio fuerat per tentionem.

Quomodo intelligenda sint illa verba hic definit.

Aug. ad finem ca. 30. li. II. de Genesi ad litteram.

Qua